



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

Vetervm Patrvm Testimonia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

*temporalia, ne unquam (Serenissimorum Parentum  
pio voto) amittat eterna.*

Quo affectu & tuum erit, Candide Lector,  
exiles hos nostros conatus fovere, & omissa  
fortè DOCUMENTORVM INFORMATIONISQVE de-  
fectu *Sanctorum Nomina* benevolè inserere &  
subnatos errores eruditè corrigere, ILLUSTRESQVE  
HAS ANIMAS largioribus aliquando encomijs jl-  
lustriores reddere, ut tuis auspicijs, è tenebris  
in lucem quasi denuò nati, tui memores, vivo,  
mortuòque (qui mos Sanctorum est) gratiam  
reponant. Sic opto, sic volo, lege, admone, iu-  
va, adde, deme, corrige. Ego utilitati tuæ stu-  
dere non desistam. Quo fine Auctores passim  
adijcio & fontes digito ostendo. Tu interea,  
lector benevole, tenui hoc labore nostro frue-  
re, Divòsque nobiscum cole, ut jllis olim accen-  
si nos inter jllos vivamus, & triumphemus.  
Quo sancto in voto, ne te ampliùs in limine  
teneam, finio, I modo, & opellam hanc nostram  
favendo lege, & legendo, omni seposito  
studio & affectu,

fave.

## VETERVM PATRVN TESTIMONIA

de memorijs Sanctorum in Ecclesia celebrandis.

TERTVLLIANVS, qui vixit anno post Christum natum;  
160. lib. de Corona militis. OBLATIONES pro defunctis,  
pro natalitijs, annua die facimus. Cypri-



CYPRIANVS qui vixit anno 260. lib. 3.  
Epist. 6. de martyribus ita scribit:

Dies eorum, quibus excedunt, annota, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. Et paulò post: significet mihi dies, quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hîc à nobis oblationes, & sacrificia ob commemorationes eorum.

AMBROSIVS, qui ante annos 1100 floruit.  
Serm. 7. in natali Tauricorum Martyrum:

Cum Omnium sanctorum Martyrum fratres devotissimè natalem celebrare debemus, tum eorum præcipuè Solemnitas totâ nobis veneratione curanda est, qui in nostris domicilijs proprium sanguinem profuderunt.

AVGVSTINVS, ab eodem Ambrosio baptizatus, in Psalmum LXXXVIII. Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate. ut imitemur eos, qui nos præcesserunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, ut benedictio Domini in æternum maneat super vos.

GREGORIUS MAGNVS qui anno 600.  
vixit, ad Eulogium Alexandrinum.  
Episcopum lib. 7. Epist. 29.

Nos autem penè Omnium Martyrum distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum venerationes Missarum solemnia agimus: non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur,

sed tantummodo nomen, locus &  
dies passionis  
ponitur.

Die I.